

praesumi iure potuerit quod vere negligens fuerit. Atqui hoc alterum, praesumptio saltem quod negligens fuerit, aetate Concilii VI certe aderat, ut ex eius epistolis, et omissione debitae oppositionis, atque incremento haeresis Monotheleticae satis colligi posse videbatur. Auctoritas autem Romano Pontifici certe non deerat: non enim agebatur de sententia ferenda directe in Romanum Pontificem, qui amplius non erat, sed tantum indirecte, quatenus eius memoria penes fideles infamis reddebatur, directe vero ipsos fideles sententia obligabat, ut nomen damnati a diptychis tollerent, scripta abolerent, eiusque memoriam execrarentur: ergo.

Attamen quia praesumptio veritati cedit, factum fuisse deinceps videtur ut, re melius perpensa, cognoscetur negligentiam Honorii aut vere non fuisse, aut non fuisse formalem, h. e. culpabilem, sed solum materialem, et idcirco ea poena dignum non esse. Sane in Ecclesia Romana viguit postea memoria Honorii cum laude, cuius rei sufficiens testimonium sit quod Anastasius narrat in vita Adriani I qui Pontificatum iniit anno 772. Ait enim Bibliothecarius: « Hic ter beatissimus et apostolicus vir dum diligentissima exquisitione sua reperisset monasterium Honorii Papae in nimiam desolationem per quandam negligentiam venire, divina inspiratione motus noviter aedificavit atque ditavit, et Abbatem cum ceteris monachis regulariter ibidem vitam degentibus ordinavit, et constituit eos, ut in basilica Salvatoris, quae et Constantiniana dicta est iuxta Lateranense patriarchium posita, officia celebrarent, h. e. matutinam horam, primam, tertiam, sextam, sed et nonam etiam et vespertinam, ab uno choro quidem, qui dudum singulariter in utroque psallebant, monachi ex monasterio S. Pancratii ibidem posito, et ab altero choro monachi iam fati monasterii S. Andreae et Bartolomaei, Honorii Papae; quatenus piis laudibus pariter psallentes hymniferis choris laeti resonent cantus reddentes Domino gloriosos melos, *persaepeius memorantes venerandi Pontificis nomen, scilicet in secula memoriale eius pangentes carminibus* ». Pontifex iste venerandus, quem persaepe memorabant monachi ex institutione Adriani est ille, cuius paulo ante mentionem facit Anastasius, h. e. Honorius Papa conditor monasterii S. Andreae et Bartolomaei. Ergo.

Itaque ad difficultatem: Honorius damnatus est ab oecumenica Synodo vel a Romana Sede ut haeticus: ergo 1) Romanus Pontifex non est infallibilis: ergo 2) est obnoxius Concilio: respondendum est 1) damnatus est ut auctor vel doctor haeresis: *neg.* ut fautor et quidem negative, per negligentiam, *conc.* Unde negatur primum consequens. 2) Damnatus est ille qui actu est Romanus Pontifex; *neg.* damnata est memoria eius, qui fuit Romanus Pontifex, *subd.*

auctoritate solius Concilii, *neg.* auctoritate Romanae Sedis, *conc.* Unde rursus negatur aliud consequens, quod quidem de Pontifice existente loquitur. Cf. dicta sub n. 4.

III. Quod attinet ad sententiam Episcoporum Francorum repugnantem decreto Synodi Nicaenae II latam tum in Synodo Francofordiensi, tum praecipue in subsequenti Parisiensi; advertendum est primum quod non multos ante annos in Concilio Romae habito a Stephano III Episcopi plures Franci qui eo convenerant, decreverunt simul cum aliis Act. IV imagines sanctorum venerandas esse: « si quis sanctas imagines D. N. I. C. et eius Genetricis atque omnium sanctorum secundum sanctorum Patrum statuta venerari noluerint, anathema sit » (Conc. Lateranense Stephani III an. 769 opera et studio Caietani Cenni). Attamen anno 794 in Synodo Francofordiensi, in qua praecipue actum est de extirpanda haeresi adoptianismi, etiam de cultu imaginum disputatum est, et improbatum est ac reiectum decretum Synodi Nicaenae tunc temporis actae. Non exstant quidem acta huius secundae partis Synodi Francofordiensi; reliquus est tamen canon qui est secundus inter 56, et sic habet: « Allata est in medium quaestio de nova graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli (corrige Nicaeae) fecerunt, in qua scriptum habebatur ut qui imaginibus sanctorum ita ut deificae Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem et servitum renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt ». Iam vero haec advertere licet. 1^o Supponunt Patres Francofordienses assertam esse a graecis adorationem eam imaginibus quae SS. Trinitati debetur. Porro constat in hoc turpiter errasse, imo mirari subit qui fieri potuerit ut tam abnormiter fallerentur cum in graeca Synodo adeo clare res definiatur, sibi que persuadere potuerint graecos Episcopos adeo fuisse ineptos ut tam crassum et putidum errorem sancirent. Hic stupor tamen minuitur, etsi non eximatur, si perpendas primum cum Baronio (in dissertatione de Concilio Francofordiensi ad ann. 794): « His temporibus res graecorum Francis pessime oluisse ex eo quod Constantinus imp. Irenae matris suae impulsu recusat pollicitas nuptias diu exspectatas filiae Caroli Magni, ob idque quamlibet oblatam occasionem arripuisse rebus ab eo gestis pietatem licet praesefertibus detrahendi pariter et insultandi... homines sumus, et quamdiu in hae vita degimus, hisce interdum privatis pulsari affectibus inviti cogimur ». Deinde stuporem remittes magis, si advertas decipi potuisse Francofordienses vel ex nomine *adoratio*, vel praecipue ex sententia Constantini Episcopi Cypri quae perperam reddita latine sic legebatur in actis oblati Pa-

tribus Francofordiensibus: « Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali et vivificatrici Trinitati emitto; et qui sic non sentiunt neque glorificant, a sancta catholica atque apostolica Ecclesia segrego et anathemati submitto ». Sed prorsus alia est in actis originalibus.

Advertere 2^o licet Patres Francofordienses censuisse Romanum Pontificem nondum probasse Concilium illud Nicaenum. Id evidens fit ex ipsis libris Carolinis, qui sunt collectio indigesta satis argumentorum quibus apud Francos ea Synodus Graeca impugnabatur, quae argumenta a pluribus profecta collegit vel colligi iussit post Francofordiensem Synodum Carolus Magnus, et ad Pontificem Adrianum vel eorum synopsis, vel omnia integra misit (Cf. Baronii dissert. cit.). Iam vero in L. I. c. 6 statuitur quod in definiendis controversiis fidei: « Romana Ecclesia ceteris Ecclesiis a Domino praelata a fidelibus consulenda sit, praesertim cum non ab aliis Scripturis nisi ab his quas illa inter canonicas recipit testimonia sint sumenda;... omnesque sancti et eruditi viri ob fidei corroboracionem a Romana Ecclesia adiutorium implorarunt; quod regulariter omnes catholicae debent observare Ecclesiae ut ab ea post Christum ad munendam fidem adiutorium petant, quae non habens maculam neque rugam et portentosa haeresum capita calcit, et fidelium mentes in fide corroborat ». Se vero velle in consortio Ecclesiae a Petro fundatae perseverare ibid. Carolus profitetur. Atqui qui haec ad ipsum Romanum Pontificem scribit non censet certe quod sententia quam ipse impugnat, fuerit ab eodem Pontifice ex cathedra definita. Et sane Francofordienses Nicaenam Synodum non appellant Synodum oecumenicam, sed *Synodum graecorum*. Hincmarus autem Remensis qui ante medium seculi sequentis floruit, quique volumen illud librorum carolinorum in palatio adolescentulus legit, pro certo habebat quod ea septima Synodus apud graecos vocata universalis, pseudo-synodus de imaginibus... sine auctoritate Apostolicae Sedis habita est Constantinopoli, et Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit ». Errarunt quidem hac in re Episcopi Franci, sed hoc errore existente liquet ipsos nulla ratione vocasse in dubium Pontificis infallibilitatem.

Verum super hac re rursus Synodus Parisiensis habita est anno 825, eandemque sententiam tulerunt Episcopi Gallicani, nimirum imagines quidem retinendas esse, non vero cultum iis esse exhibendum, ludentes semper in aequivoco ac si nullus alius cultus esset ac adoratio latriae quae soli Deo debetur. Qua duplici sententia se adversari arbitrabantur tum iconomachis qui imagines reiiciebant et destruebant, tum Patribus Synodi Nicaenae II, qui eas venerandas

esse decreverant. Innitebantur autem praecipue epistolae Gregorii Magni ad Severum; in qua suam doctrinam contineri pro certo habebant. Porro Parisienses Patres noverant Romanum Pontificem Adrianum defendisse sententiam Nicaenam, cum respondit argumentis quae ipsi a Carolo Magno proposita fuerant contra illam Synodum. Aiunt enim in initio expositionis suae doctrinae Parisienses Patres (Mansi Conce. XIV pag. 422) Adrianum conatum esse respondere illis capitulis ea quae voluit, non tamen quae decuit. Talia quippe, aiunt, quaedam sunt quae in illorum obiectionem opposuit, quae, remota pontificali auctoritate, et veritati et auctoritati refragantur: et aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehensione digna testimonia defensionis gratia proferre nisus est. An ita de infallibilis auctoritatis sententia locutos esse Patres putandum est? non habebatur ergo infallibilis ea aetate Romanus Pontifex.

Respondeo 1^o Transmitto vel concedo totum, et nego consequentiam. Etsi enim censuerint ii Episcopi Romanum Pontificem ex cathedra definientem errare posse, non exinde consequitur id ea aetate creditum esse. Nam praeter exceptionem petitam ex textu librorum Carolinorum mox citato, aliae duae exceptiones fieri possunt ad eius consequentiae vim diluendam. Prima est quod pauci hi Patres sensum catholicae Ecclesiae non repraesentabant: « Quae super venerabilium imaginum adoratione praesens synodus docet, Nicaena scilicet, haec et Apostolica Sedes vestra antiquitus tenuit, et universalis Ecclesia semper venerata est et hactenus veneratur, *quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis* » ait Anastasius bibliothecarius in praefatione, quam eidem Synodo a se in latinum translatae praemisit, ad Ioannem VIII. Altera est: quod perperam sententia Ecclesiae circa infallibilitatem Romani Pontificis, sicut et circa quodvis aliud dogma, requiritur ab iis qui propter errorem mente conceptum quo se exui non patiuntur, inepti redduntur ad iudicium ferendum de aliqua veritate. Cum enim hi adorationem imaginum aliam non conciperent quam latreuticam, atque hanc evidentissime nossent soli Deo competere, aliunde vero historice scirent Papam cultum imaginum admittere, in his angustiis constituti, cum ageretur de alterutra veritate neganda, nimirum vel quod latria soli Deo debeatur, vel quod Papa sit infallibilis; cum illa prior sit evidentior, coacti sunt alteri nuncium mittere. Huiusmodi vero conclusio quae ex anormali statu quarundam mentium dependet, potest ne esse testis sententiae communis vel communioris Ecclesiae? Verum gratis concessimus antecedens, ideoque

Respondeo 2^o Nego suppositum, quod scilicet Patres Parisienses censuerint Papam voluisse quaestionem dirimere ex auctoritate Apo-

stolica, ac definitiva sententia proponere quid esset in Ecclesia credendum. Non enim loquuntur de confirmatione Synodi, sed de quadam responsione ad capitula sibi obiecta, quae tanquam privata et adhuc spectans ad stadium inquisitionis potuit a Parisiensibus censerī. Atque ut talem eos habuisse hanc responsionem Pontificis ostendunt, cum postquam dixerint eum non satis fecisse argumentis sibi obiectis, subdunt quod « in fine tamen eiusdem apologiae sic sentire et tenere et praedicare et praecipere de his quae agebantur professus est sicut a b. Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquido colligitur quod non tantum scienter quantum ignoranter in eodem facto a recto tramite deviaverit ». Atqui haec ratio disserendi de aliqua re ut prius quis nitatur argumentis contrariis facere satis, ac tandem sententiam quam impugnavit admittat, propria est inquireris et privato studio aliquid statuentis, non iudicis ex auctoritate aliquid decidentis: ergo in ea responsione Adriani Patres Parisienses non viderunt nisi privatum aliquod opus ad stadium inquisitionis spectans: ergo. Non opus est autem monere in iudicio ferendo de inepta responsione Adriani, eiusque contradictione falsos esse eos Episcopos; sed nunc quid ipsi cogitaverint quaerimus.

THESIS XXXV.

Historia quoque controversiae Cypriani cum S. Stephano abutuntur, qui ex ea probare contendunt creditum fuisse ea aetate Romanum Pontificem ex cathedra docentem esse fallibilem: abutuntur quoque Augustini auctoritate qui ex epist. eius XLIII evidenter inferri contendunt licere a iudicio Romanae Sedis ad iudicium plenarii universae Ecclesiae Concilii provocare, illiusque sententiam per huius iudicium solvi posse.

I. Quoad Cypriani cum Stephano controversiam non una est sententia Catholicorum. Prima huc redit: concessa veritate historica omnium eorum actorum quae ad eam controversiam referuntur, respondetur Cyprianum nedum errasse cum nullum censuit baptismum haereticorum, sed et peccasse cum Stephano restitit, atque egisse tunc contra id quod ipse iam docuerat, et certissimum erat, parendum nempe esse ab Episcopis tum Patriarchae suo, tum praecipue Successori Petri Primatum habenti in universam Ecclesiam. Dices: ergo non credebat Cyprianus Romanum Pontificem esse infallibilem. Respondeo: dato etiam quod tunc a Cypriano haberetur ea quaestio tanquam quaestio fidei, negatur 1) consequens: non enim Stephanus rem definire voluit. Sed licet proposuerit doctrinam Ecclesiae Romanae, abstinuit tamen, pro bono pacis, a ferenda sententia defini-

tiva, qua praeciperetur quid credendum esset, permittens interea ut donec res sollemniter definireretur, unusquisque in sua sententia maneret (Cf. Th. XXVIII). 2) quod si Cyprianus dicatur putasse Stephanum peremptoriam sententiam tulisse ex cathedra, distinguimus consequens: nunquam credit Cyprianus Romanum Pontificem esse infallibilem, negamus: non credit tunc cum propriae opinionis amore abductus maluit obedientiae debitae Pontifici quam suae opinioni renunciare; transmittimus. Transmittimus inquam, quia neque hoc necessario consequitur; nam potest quis agere contra id quod credit. Se gessisset itaque in hac hypothesi Cyprianus, quemadmodum tot alii, qui postquam plurimo tempore Ecclesiae magisterium reveriti sunt, volunt potius obedientiae debitae Ecclesiae quam suae opinioni renuntiare. Actus enim fidei tandem liber est, et mutabilis.

Verum quid inde consequitur? Ecclesiam ne ea aetate credidisse Romanum Pontificem ex cathedra definientem esse fallibilem? ut huiusmodi consequens probaretur, oporteret demonstrare Ecclesiam tunc et putasse Romanum Pontificem ex cathedra esse locutum, et probasse resistantiam Cypriani: atqui neque haec probata est, si Augustino et Hieronymo credimus; neque similem in Orientalibus probavit Dionysius Alexandrinus: neque primum admitti potest, cum omnes scirent Stephanum non negasse communionem suam aliter sentientibus. Restat ergo tantum inobedientia Cypriani. Ita adversariis contendentibus Cyprianum restitisse in re dogmatica Romano Pontifici, admissa eorum hypothesi, respondendum est: quod si quaerant, cur ergo ut sanctus colitur Cyprianus ab Ecclesia, respondendum erit, id probare quod vel falsa est hypothesis adversariorum, vel a sua opinione discessit tandem Cyprianus et, prout par erat, se subiecit, vel Ecclesia putavit inobedientiam Cypriani falce martyrii purgatam fuisse.

II. Altera responsio (cf. Natalem Alexand. H. E. Sec. 3. D. 12. a. 4. et Auctorem anonymum Dissert. De auctoritate Pontificis vindicata etc. Part. 2. apud Migne Vol. III. p. 1325 seqq.) ait Cyprianum non existimasse quaestionem de baptismo haereticorum esse quaestionem fidei, sed solum disciplinae; nempe non esse immutabile dogma, sed mutabilem praxim. Non dicimus quod existimatio sua recta fuerit, sed quod talem habuit existimationem: quod quidem nemo ex eo inficiari poterit quod falsa esset opinio; dandum est enim Cyprianum errasse. Itaque ut haec responsio probetur, non est opus afferre argumenta *intrinseca*, quibus demonstraretur potuisse vere haberi eam quaestionem ut quaestionem disciplinae; sed satis est afferre argumenta *extrinseca* quibus demonstraretur Cyprianum ita sensisse; agitur enim de facto subiectivo Cypriani: quod si argu-